Wildenow · De Menippo Cynico · 1881.

DE MENIPPO CYNICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EDIDIT

AUCTOR

EUGENIUS WILDENOW,

MARCHICUS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXI.

M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias a. h. s. XLIV Franciscus Oehlerus et a. LXV Alexander Riesius collegerunt atque ediderunt, prooemiis additis de origine saturae Menippeae et de vita scriptisque Menippi Cynici. Eundem Menippum a Luciano expressum esse constat. Sed cum Luciani libris perlectis ad Oehleri et Riesii commentationes confugissem ut de Cynico illo, qualis fuerit, quando vixerit, quae qualiaque scripserit, certior fierem — sustinet enim apud Lucianum gravem personam, — intellexi' ea quae memoriae prodita sunt de Menippo non satis accurate ibi tractata esse. Itaque non contentus summa commentationum illarum, praesertim cum ceterae quoque quaestiones de Menippo eiusque scriptis institutae maximam partem sive mancae essent sive vitiosae, quaecunque de illo a veteribus auctoribus essent tradita colligere atque penitus perscrutari animum induxi, ut effigies exprimeretur quam dilucidissima. Et profecto! operae est pretium accuratius quaerere de vita studiisque viri qui magna apud veteres auctoritate fuisse videtur tantaque floruit dignitate, ut Varro[1]) saturarum quoddam genus ab eo appellaret. Ex scriptoribus autem qui Cynici illius vitam memoriae mandaverunt Diogenes Laertius[2]) potissimum respiciendus est, quamquam in iis rebus quas nobis tradidit summa cautio atque diligentia adhibenda est. Atque in quinque capita hanc nostram dissertationem ita conferre sive dispertire placet, ut primum disseratur quo tempore vixerit Menippus, deinde qua vitae condicione atque fortuna usus sit, postea qualibus fuerit moribus, tum quos libros scripserit, denique quam formam libri habuerint.

---

[1]) cf. Gell. II. 18, 7: Menippus, cuius libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.

[2]) VI, 8. 99—101.

Primum igitur quo tempore vixerit Menippus videamus. Qua de re Diogenes Laertius 6, 99 haec refert: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ* (i. e. *Μενίππου*) *πολλοῦ καταγέλωτος γέμει· καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου.* Quae quidem verba aut, id quod mihi maxime probabile videtur, prorsus sunt depravata aut, id quod vix verisimile est, Diogenem Laertium ignorasse demonstrant, quo tempore fuerit Meleager Gadarenus. Ita autem hic legendum esse statuo: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει κατ' ἴσον τοῖς τοῦ Μελεάγρου τοῦ ἀπ' αὐτοῦ γενομένου:* nempe *Μελεάγρου τοῦ ἀπὸ Μενίππου* idem est quod *Μελεάγρου τοῦ Μενιππείου* licetque in Meleagrum ea transferre quae Probus,[1]) Charisius,[2]) Diomedes,[3]) alii[4]) de Varrone scripserunt cum Menippeum eum dicerent. Alii alias coniecturas fecerunt: *κατ' ἴσον* pro *καί τι ἴσον* legi volunt Heckerus[5]) potissimum atque Th. Fritzschius[6]); F. V. Fritzschius cuius lectionem ceterum probo atque sequor in specimine III de scriptoribus satiricis scripto (p. 6) ita legendum conicit: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει καί τι ἴσον ἔχει τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου*, in spec. autem IV, p. 4 ita: *τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει κατὰ τὸ ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ ἀπ' αὐτοῦ* (aut *τοῦ μετ' αὐτὸν*) *γενομένου,* Heckerus denique l. l. sic scribendum esse censet: *κατ' ἴσον τοῖς Μελεάγρου τοῦ καὶ αὐτοῦ κυνικοῦ γενομένου*, cum vocabulum quod revocavit facile propter similitudinem syllabarum *κατ' αὐτοῦ* omitti potuerit. Sed ut verba illa, de quibus agitur, incorrupta sint, Meleagri, non Menippi aetatem Diogenes perverse vel vitiose memoriae prodidit, quoniam optima sciebat et ut postea videbimus dilucidissime rectissimeque litteris mandavit quo tempore fuerit Menippus. Tamen ex hoc ipso loco alii Menippum aequalem Meleagri, i. e. anno fere centesimo fuisse effecerunt, alii alia collegerunt.

---

[1]) ad Verg. Ecl. 6, p. 14.

[2]) p. 118.

[3]) p. 371.

[4]) Symmach. auct. epp. 2. Arnobius 6, 23. Eutychius p. 2169. P. 175.

[5]) in Philol. V, p. 434.

[6]) Menipp u. Horaz. p. 16.

Qui quam perperam argumentati sint hoc loco explicandum videtur, cum etiam nunc inter viros doctos dissensio sit de aetate Menippi atque ii qui Meleagrum et Menippum aequales fuisse defendant Diogenis potissimum verbis hanc suam sententiam confirmari dicant. Aequales eos fuisse illi licet defendant atque demonstrent: ex verbis certe Diogenis, etiamsi incorrupta sint, nullo modo aliud quidquam efficere poterunt nisi Meleagrum fuisse a. c. CCLXXX. Sed videamus qui fieri potuerit ut Diogenes Meleagrum eodem tempore atque Menippum vixisse traderet. Fuerunt illi quidem ex eadem patria, persimilia scripserunt, aequalitate morum atque sententiarum praestiterunt. Et primum uterque erat oriundus Gadaris (de Meleagro — nam de Menippi patria postea accuratius disseram — vide Epigramm. Auth. Gr. inter *ἀδεσπ.* 572 [1]) in illum compositum et Epigr. 127 [2]) et 126 [3]) cf. Strab. 16, C. 759 [4]) et Athen. 4, p. 157 [5])). Deinde ex libris Meleagri hoc loco ei potissimum respiciendi sunt, qui libris Menippi maxime erant similes. Meleager enim non solum *Στέφανον* illum *Ἐπιγραμμάτων* contexuit, verum etiam libros conscripsit, quibus seria atque iocosa mixta erant quique hilaritate excellebant. Eundem quidem Meleagrum qui epigrammata collegit etiam *Χάριτας, Λεκίθου καὶ Φακῆς Σύγκρισιν, Συμπόσιον* — haec enim tria scripta praeter Coronam a Meleagro Gadareno composita esse Athenaeus [6]) memoriae prodidit — scripsisse hinc apparere mihi videtur quod veteres de uno Meleagro qui libros conscripserit rettulerunt, ita ut ad hunc unum quaecunque illi haud valde inter se distantia de libris et vita Meleagri tradiderunt optimo iure referam. Atque haec ipsa tria scripta summi sunt momenti, si de ratione quae intercessit inter Menippum et Meleagrum quaeritur. Quamquam ne epi-

---

[1]) *Πρῶτά μοι Γαδάρων κλεινὰ πόλις ἔπλετο πάτρα.*

[2]) Ibi ipse de se Meleager praedicat.

Νᾶσος ἐμὰ θρέπτειρα Γύρος· πάτρα δ' ἐμὲ τεκνοῖ
Ἀτθὶς ἐν Ἀσσυρίοις ναιομένα Γαδάροις.

[3]) *Μελέαγρος . . . .*
Ὃν θεόπαις ἤνδρωσε Γύρος Γαδάρων θ' ἱερὰ χθών.

[4]) *ἐκ δὲ τῶν Γαδάρων Φιλόδημός τε ὁ Ἐπικούρειος καὶ Μελέαγρος καὶ Μένιππος ὁ σπουδογέλοιος.*

[5]) *Μελέαγρος ὁ Γαδαρεύς.*

[6]). XI, p. 502 et IV, p. 157. cf. Oehler. p. 31.

grammata quidem illius prorsus silentio praeterire licet. Ibi enim haud semel[1]) indicatur, qualia fuerint scripta qualesque mores Meleagri et ut postea accuratius videbimus quo tempore fuerit Menippus. Maioris tamen momenti disputantibus nobis de Meleagri Menippique similitudine tres illi libri sunt, quos supra commemoravi — neque enim cum Iacobsio[2]) facio qui totum fortasse syntagma satirarum *Χαρίτων* titulo inscriptum fuisse censet —, quod hisce potissimum libris *σπουδογέλοιον* illud Menippi genus scribendi imitatus est. Prope enim eos accessisse ad Menippi rationem dicendi atque cavillandi cum ex indiciis aliorum scriptorum tum ex fragmentis ab Athenaeo l. l. servatis facile intelligitur.

Sed non solum eiusdem patriae Menippus atque Meleager fuerunt similiaque scripserunt, verum etiam moribus fere iisdem fuisse videntur. Uterque enim Cynicorum philosophiam professus est. Meleagrum quidem Cynicum fuisse Athenaeus XI, p. 502 narrat. Etenim Symposium cuius ibi facta est mentio ego ad epigrammatum illum auctorem ut iam antea dixi referendum esse puto neque assentior iis qui vel, ut Schneiderns[1]), Gesnerus[2]), Vossius[3]), alii, Meleagrum Cynicum a Meleagro

---

[1]) Anth. Gr. epigr. 126:

Ἀτρέμας, ὦ ξένε, βαῖνε· παρ' εὐσεβέσιν γὰρ ὁ πρέςβυς
Εὕδει κοιμηθεὶς ὕπνον ὀφειλόμενον
Εὐκράτεω Μελέαγρος, ὁ τὸν γλυκόδακρυν Ἔρωτα
Καὶ Μούσαις ἱλαραῖς συστολίσας Χάρισιν.

ib. epigr. 128, in quo *ἀμφῆκες γέρας* sibi fuisse praedicat *ἔς τε γέλωτα καὶ σπουδάν*; clauditur autem his versibus:

Χαῖρε καὶ ἐν φθιμένοισιν, ἐπεὶ καὶ Μοῦσαν Ἔρωτι
Καὶ Χάριτας Σοφίαν τ' εἰς μίαν ἁρμόσαο.

cf. epigr. inter *ἀδεσπ.* 573:

Εὐκράτεω Μελέαγρον ἔχω, ξένε, τὸν σὺν Ερωτι
Καὶ Μούσαις κεράσαντ' ἡδυλόγους Χάριτας.

[2]) Proleg. ad Anthol. Gr. VI, p. XXXVIII. cf. ad h. l. Oehler. p. 31 et Wachsmuth. de Timone Phliasio ceterisque sill. Gr. p. 45.

[1]) in Periculo Crit. in Anthol. Const. Ceph. p. 109.

[2]) cf. Jonsium: de script. hist. philos. p. 260.

[3]) ap. Fabric. Bibl. Gr. IV, p. 417. Errat autem ibi Harlesius quod testimonium Vossii profert. Etenim apud Voss. de hist. Gr. III, 388 non de Meleagro, sed de Menippo agitur.

Gadareno vel, ut C. Hermannus [1]), Harlesius [2]), Bernhardius [3]), alii, Meleagrum Gadarenum Cynicum, Menippi amicum, a Meleagro Gadareno, anthologiae auctore, diversum esse pro certo affirmant. Quod quidem illi nulla alia re ducti statuerunt quam quod Menippum et Meleagrum aequales non fuisse intellexerant. Hermannus quidem cum ea quae Diogenes de Cynicis rettulit vera putaret, anthologiaeque auctorem multis annis post Menippum fuisse plane perspexisset id quod modo dixi discrimen fecit. Nolo hoc loco dicere de Buretto [4]), qui Meleagrum epigrammatum auctorem sub primis Alexandri successoribus fuisse existimat, et de Martino [5]), qui sub Seleuco IV, Antiochi Magni filio, floruisse eum suspicatus est, quam quidem opinionem amplexi sunt etiam Klotzius [6]) et Salmasius [7]). Contra quam sententiam rectissime Vavassor [8]), Reiskius [9]), Saxius [10]), permulti alii iudicarunt Meleagrum aequalem fuisse Seleuco VI, regi Syriae ultimo, id quod satis apparet ex prooem. cor. Meleagri Vatic. cod. p. 82: *Γαδαρηνὸς* (sc. *Μελέαγρος*) *ἦν ὡς ἐν τοῖς ἔμπροσθεν αὐτὸς ἑαυτοῦ ἐμνημόνευσεν· ἤκμασεν ἐπὶ Σελεύκου τοῦ ἐσχάτου.* Cuius scholii fidem Jacobsius [11]) secutus Meleagrum inter Antipatrum Sidonium et Philodemum poetam, i. e. inter a. fere CXX et L a. Chr. n., fuisse satis dilucide demonstravit. Antipatri quidem Sidonii aetas, qui fuit aequalis fere Q. Lutatio Catulo [12]), quem a. CII consulem fuisse constat, non valde remota esse potest a Meleagri temporibus, cum inter

---

[1]) De sat. Rom. auctore ex sententia Hor. serm. 1, 10, 66. p. 44.

[2]) ap. Fabric. Bibl. Gr. IV, p. 418.

[3]) Grundriss der griech. Litt. I, p. 642.

[4]) Mém. de l'Acad. des Inscr. tom. XIX, p. 441.

[5]) Epist. l. IV, ep. 5. tom. I, p. 187. (Amstel. 1738).

[6]) Proleg. ad Homonyma Hyles Jatr. p. 4.

[7]) Praefat. ad Strat. Epigr. p. 7.

[8]) de Epigr. c. 16.

[9]) Notit. poet. Anthol. p. 232.

[10]) Onomast. lit. I, p. 142.

[11]) Proleg. ad Anthol. Gr. tom. VI, p. XXXIX sq. cf. G. Weigand: De Antipatris Sidonio et Thessalonicensi p. 22 (Vratisl. 1840).

[12]) Cic. de orat. III, 50.

Meleagri epigrammata unum[1]) inveniatur in tumulum illius atque ut recentis quidem poetae compositum. Philodemum autem poetam in epigrammatum genere celeberrimum Philippus Thessalonicensis, qui ut ipse fatetur[2]) Meleagri in epigrammatis colligendis vestigia sub saeculi p. Chr. primi exitum secutus est, inter eos recenset qui post Meleagrum fuerunt. Dicit enim Philippus se Coronam contexuisse ex poetis *ὁπλοτέροις*, i. e. ut contextus docet ex iis qui Meleagro iam mortuo epigrammata scripserunt, atque inter hos cum alios tum Philodemum Gadarenum (I, 9) enumerat. Neque enim, si aliter res se haberet et Meleagri iam temporibus ille vixisset, probabile videtur Meleagrum hunc virum, civem nimirum et in eo scribendi genere cui ipse studebat nobilissimum, ignoraturum silentioque praeteriturum fuisse. Floruit autem Philodemus c. a. L[3]). Verum est igitur id quod scholium affirmat Meleagrum sub ultimo Seleuco vixisse. Is enim regnare coepit a. LXXXXV, quo tempore Antipater defunctus erat, Philodemus nondum florebat.

Quoniam de Meleagri aetate satis accurate disserui eumque inter a. CXX et L fuisse demonstravi, iam redeamus ad Diogenem Laertium, qui aequales fuisse Menippum et Meleagrum memoriae prodidit. Sed si modo mendosa non est lectio illa *τοῖς Μελεάγρου τοῦ κατ' αὐτὸν γενομένου* valde nimirum erravit, praesertim cum Meleager ipse epigrammate 127[4]) ostendere videatur, qualis inter ipsum et Menippum intercesserit ratio; quae quidem eadem temporum ratio etiam ex epigrammate illo Anthol. inter *ἀδεσπ.* 572[5]) in Meleagrum composito apparet. Etenim ex his epigrammatis quid efficitur? Nimirum iis quibus Meleager poeta vixit temporibus Menippi gloriam iam magnam pervagatamque fuisse. Non defuerunt qui ut Oehlerus[6])

---

1) Epigr. 123.
2) Anthol. Gr. Tom. II, p. 216. 1, 4.
3) Cic. in Pison. 28, 68.
4) *Εὐκράτεω ἔβλαστον ὁ σὺν Μούσαις Μελέαγρος,*
Πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας Χάρισιν.
5) *Μοῦσαι δ' ειν ὀλίγοις με τὸν Εὐκράτεω Μελέαγρον*
Παῖδα Μενιππείαις ἠγλάϊσαν Χάρισι.
6) M. Ter. Varronis sat. Menipp. reliq. p. 43.

eiusque argumentatione comprobata Riesius [1]) ex his ipsis quae modo attuli testimoniis colligi posse existimarent Menippi aetatem usque ad Meleagri iuventutem esse productam. Quamquam Oehlerus ipse argumento quod affert nihil demonstrat. Dicit enim Mansonem [2]) verba *πρῶτα Μενιππείαις συντροχάσας Χάρισιν* sic recte esse interpretatum: primusque obviam factus sum Menippeis Gratiis vel socium me iis adiunxi, h. e. iuvenis Menippum secutus salibus et festivis sermonibus operam dedi; aliter vertisse ea verba Q. Septimium Florentem Christianum [3]): sumque Menippeos aemulus arte sales. Sed primum mihi quidem interpretationes illae quas diversas esse Oehlerus putat haud ita multum distare videntur. Deinde ex Mansonis interpretatione nihil aliud efficitur quam Meleagrum iuvenem vestigia secutum esse Menippi. Non video quo iure Oehlerus ita disputare pergat: id ex verbis istis lucide apparet Menippum eo tempore iam floruisse, i. e. usque ad id fere tempus aetatem produxisse, quo scribere Meleager et libros condere primum inceperit. Floruit quidem illis temporibus vel pervagata erat gloria atque auctoritas Menippi, ipse iam non vixit neque floruit. Sed sic potius statuo: Meleagrum ab imitatione Menippi profectum primum libris quos supra commemoravi scriptis postea ad epigrammata componenda ita se convertisse, ut Menippearum Gratiarum non semel faceret mentionem. Quae cum ita sint, apparet vehementer erravisse Diogenem Laertium, cum aequalem Menippi Meleagrum fuisse affirmet. Erravit autem non de Menippi, sed de Meleagri vita constituenda. Etenim, ut supra dixi, quo Menippus fuerit tempore probe sciebat neque in dubio reliquit quando vixisse illum ipse persuasum habuerit. Apparet autem illud primum ex ordine, quem in philosophorum vita atque disciplina enumeranda Diogenes his in rebus admodum diligens servat. Ex hoc autem ipso ordine ita contexto ut de unaquaque secta singillatim dicatur ibique ab iis qui constituerant disciplinas ad recentiores philosophos descendatur temporibus accuratissime observatis facile perspicitur Menippum

---

[1]) M. Ter. Varronis sat. Menipp. reliq. p. 8.

[2]) Reliq. Meleagri p. 157 (Jen. 1789).

[3]) apud Graefium in ed. Meleagri Gad. Epigramm. p. 176 (Lips. 1811).

inter a. CCC—CCXXXX fuisse: ponitur enim apud Diogenem inter Hipparchiam et Menedemum. Hipparchia autem Maronitis, Metroclis soror, sermonibus Cratetis, discipuli Diogenis Theophrastique aequalis, qui a. c. CCCXX floruit, capta et ut Cynicorum institutioni atque doctrinae sese committeret perducta est. Quae cum ita sint non a vero aberrabimus, si a. fere CCC eam fuisse existimabimus. Menedemum vero Echecli, discipulo Theombroti, qui quidem Metroclis fuit auditor, c. a. CCLX florenti operam dedisse Diogenes Laertius 6, 95 narrat: fuisse igitur Menedemum ipsum c. a. CCXXXX apparet, praesertim cum ab eodem Diogene 6, 102 *Κολώτου τοῦ Λαμψακηνοῦ μαθητὴς* appelletur. Ex his igitur computationibus sequitur Menippi aetatem a Diogene Laertio ipso inter a. CCC—CCXXXX collocari. Ac profecto cum aliis Cynicis, qui eodem fere tempore vixerunt, Menippus coniunctus est ab eodem Diogene 6, 95, ubi etsi ita scriptum est *ἐγένετο καὶ Μένιππυς Σινωπεὺς ἐν αὐτοῖς ἐπιφανὴς* tamen ut postea explicabo noster dicitur Menippus, i. e. Gadarenus.

Maiorem autem fidem huic sententiae Leyius [1]), Lozynskius [2]), C. F. Hermannus [3]) alii addere quantaque fuerit Diogenis neglegentia demonstrare conati sunt, cum ex aetate scriptorum eorum, qui Diogene auctore de Menippi condicione certiores nos fecissent, idem fere tempus colligi posse dicerent quo Cynicum illum vixisse modo probavimus. Qui quo iure argumentati sint quamquam omnino non intellego, tamen argumenta eorum hoc loco silentio praetereunda non esse censeo, primum ut ea quae ad vitam Menippi constituendam alicuius momenti sint colligantur, deinde, id quod gravissimum est, ut auctorum ipsorum qui de Menippo scripserunt mentione facta quaeratur num fides iis habenda sit.

Atque tres quidem auctores affert Diogenes Laertius, Achaicum, Dioclem, Hermippum. De Achaico perpauca nobis sunt tradita. Etenim praeter Diogenem unus Theodoretus [4]) eum

---

[1]) de vita scriptisque Menippi Cyn. et de sat. M. Ter. Varr. Men. p. 6.

[2]) Hermippi Smyrnaei Perip. fragm. p. 4.

[3]) l. l. p. 43.

[4]) cf. *Ἑλληνικῶν θεραπευτικὴ Παθημάτων* p. 329 (ed. Gaisford).

commemorat. Quo tempore Achaicus vixerit incertum est. Iis autem quae memoriae tradidit fidem esse denegandam equidem non crediderim, cum apud alios etiam scriptores eadem inveniantur. Iam de Diocle [1]) dicamus quo Diogenes persaepe utitur teste. Magnesia oriundus libros scripserat duos, quorum alter inscriptus erat *οἱ βίοι τῶν φιλοσόφων,* alter *ἡ ἐπιδρομὴ τῶν φιλοσόφων.* Testimoniis argumentisque quorum auctorem Dioclem fuisse Diogenes affirmat examinatis non habebimus cur fidem ei abrogemus, cum non primoribus labris eum attigisse singulorum philosophorum disciplinas appareat. Tempus autem certum quo vixerit ex re effici non potest, quod usque ad Chrysippi mortem, i. e. Apollodoro [2]) auctore usque ad a. CCVIII libros de philosophis scriptos produxisse dicitur neque quidquam quod post Chrysippum mortuum accidisset ab illo narratum apud Diogenem, i. e. apud unum illum auctorem qui Dioclis mentionem fecit, invenitur. Nescio enim quo iure inde colligatur Dioclem ipsum non multo post a. CCVIII diem supremum obiisse, cum perfacile etiam vitas philosophorum qui post Chrysippum vixerunt describere potuerit quamvis Diogenes eum non adhibuerit testem: praeterea Diogenes ipse ex eorum qui post Chrysippum fuerunt philosophorum numero tam paucos affert, ut nihil tribuendum sit quod Dioclem auctorem non nominavit. Itaque nihil aliud inde sequitur quam post a. CCVIII eum vixisse: ad sententiam autem nostram de Menippi tempore confirmandam ex tali argumentatione non ita multum vel potius nihil sequitur.

Hermippum denique circa a. CC floruisse inter viros doctos constat.[3]) Atque recte eos iudicare optimo iure inde colligitur quod cum fere viginti quinque auctores [4]) dicta aut sententias Hermippi memoriae prodiderint, nemo eorum quidquam rettulit quod ad tempora post Chrysippi mortem pertineat. Itaque cum inter eos quorum vitas ille composuerat postremus sit Chrysippus

---

[1]) cf. Voss. de hist. Gr. III, 355 sq.

[2]) cf. Diog. Laert. VII, 184.

[3]) Voss. de hist. Gr. I p. 103. Spencer: ad Orig. c. Celsum p. 13. Jonsius: de script. hist. philos. II, c. 9. K. F. Hermann l. l. p. 43. Lozynski l. l. p. 4.

[4]) Lozynski p. 133.

et de posterioribus si quid memoriae prodidisset una saltem mentio ab aliquo eorum qui de illo scripserunt (atque ut antea dixi viginti quinque, non ut de Diocle unus Diogenes Laertius, de eo rettulerunt) facta fuisset, eum non ita multo post Chrysippi tempora mortuum esse statuendum est. Floruisse igitur eum a. fere CCX—CC probabile videtur. Alia autem argumenta quae a Lozynskio et Prellero ad hanc sententiam confirmandam afferuntur levissima sunt. Etenim Lozynskius p. 4 ita disserere pergit: „In computanda eius aetatis ratione adminiculo etiam inservit Athenaei [1]) testimonium, a quo Callimachii cognomine effertur, propterea quod Callimachi fuerit discipulus.“ Ex hoc autem cognomine nihil de tempore Hermippi definiendo sequitur, cum perfacile etiam *Καλλιμάχειος* appellari potuerit propter *Βίων* magnum illud et egregium opus, in quo Callimachi studia aemulatus est ante in hoc bibliographico genere clarissima. Scripserat enim Callimachus CXX libros: *Πινάκων τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν.* Neque cum Prellero [2]) facio, qui quod in Etymol. magn. s. v. *Ἀπάμεια* p. 118, 11 res a. CCIV factae ab Hermippo narratae inveniuntur, in his ipsis rebus memoriae prodendis versatum illum esse a. CCIII statuit. Ego quidem ex ea modo re quod Vitas ille produxit usque ad Chrysippi mortem efficio a. fere CCX—CC eum vixisse. De fide autem atque auctoritate Hermippi Meinersius [3]), Luzacius [4]), alii multum detraxerunt et vel Lozynskius [5]), fortissimus ceterum eius defensor, quamquam de industria verum eum occultasse prorsus negat, tamen errores eum commisisse concedit. Itaque quod praeter alios Diogenes Laertius quoque ex eo saepius res proferat aut veritati repugnantes aut prorsus leves, in Hermippo laudando semper ratio nobis et diligentia erit adhibenda cogitantibus, quantum materiae postea Cynici malignis praebuerint ad fabulas componendas.[6])

---

[1]) 2, 59. 5, 214. 15, 696.

[2]) Seeb. et Jahn. N. Jahrb. f. Phil. 1836. T. 17, p. 159 sq.

[3]) Lect. Att. II, 9. p. 148.

[4]) Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wiss. in Griech. u. Rom. I, p. 228.

[5]) l. l. p. 63.

[6]) cf. Brucker. hist. crit. phil. de secta Cyn. § 3, 10.

Atque haec quidem habui quae dicerem de testimonio quod Diogenes Laertius de Menippi aetate affert et de fide Achaico, Diocli, Hermippo praestanda.

Sed non solum ex Diogenis verbis, verum etiam ex adnotatione Probi[1]) ad Verg. ecl. 6, 31 intelligitur quo tempore fuerit Menippus. Quod quidem scholium viri docti mirum in modum alius aliter dilaceraverunt et detorserunt. Veluti Oehlerus[2]), ut Menippum aequalem fuisse Meleagri comprobet temere grammatico illi fidem habendam esse negat: neque enim quempiam fore argumentatur qui Menippum poetam facere aut saturographum probare cum Probo velit, cum carmina pepigisse eum neque alius veterum scriptorum quisquam tradiderit neque indicum exstet ullum. Itaque cum Probi iudicium de Menippi genere scribendi, de quo postea accuratius quaeremus, probabilitate carere putaret, ne in iis quidem quae de temporum ratione inter Menippum et Varronem intercedente dicta essent veri aut recti quidquam esse persuasum habuit. Ab Oehleri sententia haud multum discrepat Wachsmuthius[3]): etenim ille quamquam prorsus non esse dicit cur negetur satiras a Menippo compositas esse, plane silentio praeterit prima scholii illius verba, ne ulla quidem ratione eorum habita de industria nimirum, ne quis inde argumenta repetat quibus Menippum aequalem non fuisse Meleagri demonstretur. Mihi quidem nimis neglexisse videntur viri docti Probi verba parumque digna putasse quae accurate excuterentur, neque intellego quo iure fides scholii illius in dubitationem vocetur. Immo vero: scholium illud, quod si recte inspexeris ad interpretandum non difficile esse videbis doctissimum et prorsus probandum puto atque, cum Menippus aetate longe praecesserit Varronem, idem fere tempus inde efficio quo Menippum vixisse supra demonstravi.

Venio nunc ad testimonia Luciani, qui Menippi vitam, mores, scripta optime profecto cognovit. Quamquam autem ille certum annum quo Menippus fuerit non significavit, tamen dubi-

---

[1]) Probi verba sunt haec: Varro Menippeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat.

[2]) l. l. p. 28.

[3]) De Timone Phlias. ceterisque sill. Gr. p. 42 sq.

tari non potest quin inter a. fere CCC — CCLX aetatem eius constituerit. Primum enim Lucianus Menippum inducit de rebus usque ad a. CCLX gestis haud semel disserentem et commentantem, de rebus postea gestis nunquam. Deinde Philosophiam in libro qui *Δραπέται* [1]) inscriptus est idem haec verba facientem facit: *ἐχρῆν μὲν οὖν ἴσως τότε φυγεῖν εὐθὺς καὶ μηκέτι ἀνέχεσθαι τὴν συνουσίαν αὐτῶν, νῦν δὲ Ἀντισθένης με καὶ Διογένης καὶ μετὰ μικρὸν Κράτης καὶ Μένιππος οὗτος ἔπεισαν ὀλίγον ὅσον ἐπιμετρῆσαι τῆς μονῆς.* Dicit igitur Menippum paullo post Antisthenem et Diogenem fuisse, neque a vero aberrabimus si Luciani verbis excussis putabimus inter Cratetem et Menippum eandem fere temporum rationem intercessisse quae fuit inter Antisthenem et Diogenem, quos quidem aetate fere XL annorum distare constat: Antisthenes enim a. CCCLXV, obiit Diogenes a. CCCXXIII. Cratetem autem cum a. c. CCCXX floruisse supra commemoraverim Luciamus optimo iure haud ita multo post Cynicos illos fuisse dicit. Ergo Menippum Luciano auctore temporumque ratione habita a. fere CCLXXX floruisse rectissime iudicabimus. Denique Lucianus in Bis Acc. 33 *τῶν παλαιῶν κυνῶν τινα μάλα ὑλακτικὸν* eum appellat atque acerbitatem Eupolidis Aristophanisque et veterum illorum Cynicorum propriam ei tribuit.

Haec habui quae de veterum testimoniis et de tempore Menippi constituendo proferrem. Nihil dicam hoc loco de Arcesilao et Epicuri discipulis: in quos vivos nimirum scriptis quibusdam infra accurate tractandis Menippum invectum esse quamquam concedo, tamen non prorsus V. Fritzschio [2]) assentior, qui illud maximi momenti et ponderis esse dicit omnemque litem de aetate Menippi dirimi argumentatur una ea re, quod Menippus aequalis fuerit Arcesilao philosopho, quem vivum in satura cognomine insectatus sit: nam alias quas supra attuli causas graviores equidem puto. Iam satis mihi videor demonstrasse Menippum Cynicum vixisse inter a. fere CCC—CCXL.

Proximum est ut de vitae Menippi condicione atque fortuna disseram. Gadaris eum oriundum fuisse iam supra dixi

---

[1]) c. 11.

[2]) de script. sat. spec. IV, p. 5 et p. 8.

Strabone [1]) et Stephano Byzantio [2]) auctoribus. Achaico [3]) autem teste a Diogene appellatur τὸ ἀνέκαθεν Φοῖνιξ, nimirum quod maiores eius in Phoenicia fuerant. Quamquam Menippus ipse quoque ex Phoenicia oriundus propterea dici potest, quod Coele Syria ubi Gadara erant sita antiquis temporibus modo a Phoenicia distinguitur modo illius pars habetur. Quod autem Sinopensem eundem fuisse Diogenes alio loco [4]) dicit — nam ad nullum nisi ad nostrum Menippum illud pertinere rerum verborumque contextus docet —, servitutem mihi videtur tangere, in qua Menippum fuisse Achaicus et Diocles [5]) memoriae prodiderunt; dominus autem eius Ponticus erat Batoque vocabatur. Atque de industria nimirum Sinopensem, i. e. servum, eum appellavit Diogenes, qui quod ille acerbissimis contumeliis in philosophorum potissimum mores atque vitia invectus erat quacunque ratione de gloria et auctoritate eius detrahebat. Itaque nulla de eo testimonia nisi iniqua in medium profert. Licet ea vera sint (neque enim, ut iam supra demonstravi, habemus cur fidem abrogemus Achaico potissimum et Diocli, quibus praeter Hermippum testibus utitur Diogenes), attamen multas res laude dignas celasse atque id potissimum egisse videntur ut Menippus evaderet homo nequam, aut, id quod verisimillimum est, Diogenes ex iis quae illi rettulerunt iniqua modo quibus aptissime laus illius imminueretur memoriae prodidit, aequa vel digna quae ad Menippi auctoritatem probandam pertinerent non prodidit. Fuisse autem Menippum servum praeter Achaicum et Dioclem Gellius [6]) eumque secutus Macrobius [7]) testantur, atque haud scio an Sinopen, quae urbs in Ponti ora erat sita et a Mithridate Magno caput facta erat regni Pontici, puer ille venerit atque in servitute fuerit, id

---

[1]) 16, C. 759.

[2]) p. 193 s. v. *Γάδαρα*.

[3]) apud Diog. Laert. 6, 99.

[4]) 6, 95.

[5]) ap. Diog. L. 6, 99.

[6]) N. A. II, 18, 6 et 7: Alii quoque non pauci servi fuerunt, qui post philosophi clari exstiterunt. Ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in satiris aemulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas.

[7]) Sat. 1, 11, 42.

quod Diogenes respiciens maledice contumelioseque loquitur de origine Sinopensi. Quo modo autem factum sit ut ille manu mitteretur, non satis apparet: Diogenes quidem nihil aliud refert quam pecuniae eum cupidissimum impetrasse ut Thebanus fieret.[1]) Certe et libertatem adeptus est et diu in Graecia vixit. Ibi quum *ναυτικῷ τόκῳ δανείζειν καὶ ἐξενεχυριάζειν* soleret *ἡμεροδανειστὴν* vocatum eum esse testis est Hermippus.[2]) Maritimis autem usuris pecuniam mutuam dare cum fructuosissimum tum propter piratas, tempestates, alias causas periculosissimum fuisse videtur: itaque cum cautio creditori oblata lubrica quasi atque incerta esset, maximae pendebantur usurae.[3]) Quo quidem fenore exercendo *παμπλεῖστα χρήματα ἀθροῖσαι* Menippum memoriae est proditum. Versabatur autem inprimis Luciano[4]) auctore Corinthi in Cranio et Athenis in Lycio. In Cranio Diogenes morari solebat Cynicus, cuius potissimum discipulus Menippus erat. In Lycio autem, Aristotelicorum sede, non minus quam in Cranio vehementer atque acerbe philosophos irrisisse videtur. Sed cum longius aetate iam esset provectus vel potius consenuisset et ut in tertia huius dissertationis parte accuratius disserendum est, quam fragiles essent et caducae res humanae perspexisset iniquum fenus exercere desierat: senex, qualem Lucianus eum inducit, hominum cupiditatibus atque studiis vanis ita illudebat, ut feneratorem etiam tum eum fuisse haud facile quisquam credat, nisi forte Lucianum errasse aut vera mendaciis contaminasse putabimus. Ex eo autem tempore quo pecunias grandi fenore auxerat in perpetuum haerebat cognomen illud *ἡμεροδανειστοῦ*: neque dubium esse potest quin hoc ipso cognomine dato Menippum ii quos facetiis obruerat ludere studuerint, cum indicarent quantopere discreparet Cynici vivendi ratio ab ipsius disciplina atque philosophia. Quid? quod postremo cum ultro mortem oppetivisset invidiose illi argumentati maerore propter divitias amissas confectum laqueo eum vitam finivisse tradiderunt.[5])

[5]) cf. Diog. Laert. 6, 99.

[1]) ap. Diog. Laert. 6, 99.

[2]) cf. Poll. 3, 115 et Xenoph. de vect. 3, 9.

[3]) Mort. Dial. 1, 1.

[4]) ap. Diog. Laert. 6, 100.

Sed non ob iacturam divitiarum, sed ob taedium rerum humanarum manum sibi ipse intulit. Ipsum autem sibi mortem conscivisse praeter Diogenem Hermippo auctore etiam Lucianus[1]) refert, qui haec verba Menippum facientem inducit: *ἔσπευσα ἐπὶ θάνατον καλέσαντος μηδενός*; atque alio loco[2]) Cerberus Menippum et Diogenem solos affirmat genere dignos descendisse ad inferos *μὴ ἀναγκαζομένους μηδ᾽ ὠθουμένους, ἀλλ᾽ ἐθελουσίους*. Aliam narrationem de Menippi morte legimus in schol. ad Luc. Dial. Mort. 1, 1. Ibi enim postquam Lucianus Polluci ad superos revertenti cum alia tum haec mandantem fecit ut Menippum, si ad inferos descenderet, *ἐμπλησάμενον τὴν πήραν ἥκειν θέρμων τε πολλῶν καὶ εἴ που εὕροι ἐν τῇ τριόδῳ Ἑκάτης δεῖπνον κείμενον ἢ ᾠὸν ἐκ καθαρσίου ἤ τι τοιοῦτον* iuberet, scholiastes haec affert: *ἀπὸ τῶν δείπνων ὠμὰ φαγὼν ᾠὰ τέθνηκεν ἀπεπτήσας τούτῳ*. Scholiasten autem errare Solanus recte adnotavit. Lucianus enim ea quae supra scripsimus Polluci mandasse videtur nullam aliam ob causam quam ut Menippi rationem deridendi religiones illas atque consuetudines ostenderet. Scholium quidem illud sine ulla dubitatione ex Luciani libro qui *Καταπλοῦς* inscriptus est petitum est ubi c. 7 Cyniscus quidam commemoratur, *ὃν ἔδει τῆς Ἑκάτης τὸ δεῖπνον φαγόντα καὶ τὰ ἐκ τῶν καθαρσίων ᾠὰ καὶ πρὸς τούτοις γε σηπίαν ὠμὴν ἀποθανεῖν*. Haec autem verba ad Menippum pertinere non est cur putemus: potius ad Diogenem referenda sunt, praesertim cum Luc. Vit. Auct. § 10 respicias. Voluntariam igitur fuisse mortem Menippi ex testimoniis et Hermippi et Luciani satis dilucide apparet: Leyius[3]) nescio quo iure idem etiam ex fragm. Varr. sat. Men. *ταφὴ Μενίππου*[4]) colligi posse argumentatur.

Menippus igitur — ut paucis quae de vita, fortuna, morte eius tradita sunt complectar — primum servus in Ponto, deinde in Graecia libertatem adeptus fenore faciendo maximas sibi divitias comparavit, denique aetate provectus atque senex rebus

[1]) Mort. Dial. 10, 11. [2]) Mort. Dial. 21, 2.

[3]) de vita scriptisque Menippi Cyn. p. 6.

[4]) ap. Oehler. p. 220. 86, 2:

Ille nobilis quondam canis
Hic liquit homines omnes in terrae pila.

humanis studiisque hominum vanis despectis necem sibi ipse conscivit.

Venio nunc ad mores et philosophiam Menippi. Diogenes Laertius [1]) nihil nisi Cynicorum philosophiam eum professum esse refert, atque idem a Luciano [2]) *Κύων* et ab Athenaeo [3]) *Κυνικὸς* nominatur. Fuit autem insignis [4]) inter Cynicos priscos illos, quibus primum placebat *τὸν λογικὸν καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ*, deinde *αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν μηδενὸς προσδεομένην ὅτι μὴ Σωκράτους ἰσχύος.* [5]) Itaque cum simplici et victu facile parabili utendum esse docerent, sobriis cibariis vescebantur palliatique incedebant et divitias, gloriam, nobilitatem contemnentes [6]) eo propius ad deorum similitudinem accedere sibi videbantur, quo paucioribus indigerent. Sed non solum contemnebant ipsi externas res, verum vehementissime invehebantur in eos qui illis rebus indulgerent. Etenim cavillandi et deridendi studium maxime proprium fuisse Cynicorum constat: mordebant illi ut canes, ita ut essent qui hanc ob causam *κύνας* vel *κυνικοὺς* eos appellatos esse dicerent. Iam in Antisthenem cui cognomen erat *Ἁπλοκύων* hoc epigramma factum invenitur [7]):

Τὸν βίον ἦσθα κύων, Ἀντίσθενες, ὧδε πεφυκώς
Ὥςτε δακεῖν κραδίην ῥήμασιν, οὐ στόμασιν.

et Diogenes ab Alexandro interrogatus qua de causa canis vocaretur, quod iis, inquit, blandior qui dant, iis vero qui non dant oblatro, malos autem mordeo. [8]) Praeter eos autem qui opes et honores appetebant inprimis philosophos atque potissimum quidem dialecticos et physicos traducebant et deos populares facetiis perstringebant. Atque mordacissimum quasi vituperatorem et acerbissimum cavillatorem fuisse Menippum cum ex

---

[1]) 6, 99.
[2]) *Δὶς Καθηγ.* 33. *Νεκυομ.* 1. Mort. Dial. 1, 1. 2, 1. 21, 1. 22, 3.
[3]) 1, 32. 14, 629. 14, 664.
[4]) cf. Diog. L. 6, 95.
[5]) cf. Diog. L. 6, 103 et 6, 11.
[6]) cf. Diog. L. 6, 105.
[7]) ap. eundem 6, 19.
[8]) ib. 6, 60.

indicibus librorum qui a Diogene Laertio et Athenaeo servati sunt tum ex ea imagine quam Lucianus nobis expressit satis dilucide apparet.

Lucianus quidem quamquam pedisequus quasi Menippi erat nunquam veritate neglecta fumum pro vero nobis vendidit; sed doctrinam atque virtutis praecepta qualia vir ille integerrimus tradere solebat tanquam ab ore huius delibata legentibus proposuit. Etenim ea quae de Cynici nostri moribus memoriae prodidit optime concinunt cum iis quae paullo infra ex indicibus librorum a Menippo scriptorum efficiemus. Sed quibus rebus perductus Lucianus imitandum sibi proposuit Menippum? Probabat priscum illum Cynismum atque rationem illius et agendi et dicendi. Etenim quamquam Lucianus de philosophia quam professus sit ipse iudicium neque ad consuetudinem philosophorum expressit neque ita probavit, ut philosophi auctoritatem in eo agnoscamus, tamen cum nihil magis quaerendum esse sentiret philosophorum studiis quam praesidia ad vitam bene instituendam idonea, Cynicos, si quis moderate illorum inventis uti vellet, haud semel celebravit. At saepissime etiam in Cynicos invectus est! Concedo: invectus autem est nunquam in priscos illos Cynicos, verum in eos quos ipse videbat, ut homines molestissimos atque maxime importunos, qui barbis demissis, peris, baculis instructi paupertatis, simplicitatis, pietatis simulatione turpissima quaeque atque inhonestissima facerent. Itaque cum aequalium ingenia ad priscos illos Cynicos repraesentandos vix comparata esse reputaret, nihil melius et fructuosius putabat quam voluptatibus quae satisfacerent sensibus nos tradere et cetera quocunque modo fortuna tulisset nihil curare. Quo factum est ut idem Lucianus Epicurum summa veneratione prosequeretur et Stoicorum illam *ἀπάθειαν* cuius principia iam Cynicis probata esse credebantur commendaret. Atque praestantissimum illius *ἀπαθείας* exemplum proposuit Menippum, qui cum senex vitam simplicem et vere liberam[1]) ageret res externas prorsus reiciendas esse censebat aequaliumque mores, instituta, placita ad ludicrum examen vocabat. Senem quidem,

[1]) in Mort. Dial. 22, 3 dicitur *ἐλεύθερος ἀκριβῶς κοὐδενὸς αὐτῷ μέλει.*

id quod gravissimum est, Menippum a Luciano induci iam supra dictum est. Habitus eius in Mort. Dial. 1, 2 ita describitur: *γέρων, φαλακρός, τριβώνιον ἔχων πολύθυρον, ἅπαντι ἀνέμῳ ἀναπεπταμένον καὶ ταῖς ἐπιπτυχαῖς τῶν ῥακίων ποικίλον;* peram fert beculumque [1]) Anthisthenis et Diogenis instar et a Ganymede valde distat. [2]) Ut Diogenes quem praeter ceteros imitandum sibi proposuit [3]) ita ipse sua sorte contentus vivit, *ἀγαπῶν τοῖς παροῦσι καὶ μηδὲν αὐτῶν ἀφόρητον οἰόμενος.* [4]) Ut Diogenes et Crates, ita ipse ab Antisthene hereditate quasi accepit *σοφίαν, αὐτάρκειαν, ἀλήθειαν, παρρησίαν, ἐλευθερίαν.* [5]) Summum sapientis bonum *τὴν ἀπάθειαν* ducebat, ita ut nil cuperet, nil metueret, modiceque et quiete omnibus in rebus conquirendis et servandis sese gereret. Quam quidem sententiam cum a Tiresia ut ipse narrat [6]) accepisset atque probavisset, nulla re indigeus Cynicorum rationem secutus eos qui aliter et iudicabant et vivebant hilarem plerumque et iocosum in modum traducebat. Atque in hoc traducendi aut cavillandi studio praestantissimus exstitit Menippus. Inde *σπουδογέλοιον* [7]) illud genus dicendi natum est quo praeter ceteros floruisse dicitur. Reiciebat nimirum ut philosophus vere Cynicus dialecticam atque philosophorum subtilitatibus magis idoneum putabat iocum atque risum, quo excitato aequales ad morum simplicitatem et vitam vere beatam redigerentur. Itaque in philosophos potissimum et verbis et scriptis acerbissimis invehebatur. Apparet illud quidem primum ex librorum indicibus qui a Diogene Laertio, Athenaeo, aliis traditi sunt. Scripserat enim Menippus *Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου, Συμπόσιον, Ἀρκεσίλαον, Διαθήκας, Νεκυίαν,* alia. Videmus igitur illusisse eum, id quod supra Cynicorum proprium esse diximus, physicis mathematicisque et grammaticis sive dialecticis non minus quam

---

[1]) Mort. Dial. 10, 2.
[2]) Luc. Icarom. 2.
[3]) Luc. Nekyom. 18.
[4]) Mort. Dial. 26, 2.
[5]) ib. 11, 3.
[6]) Nekyom. 21.
[7]) cf. Steph. Byz. s. v *Γάδαρα* et Strabo 16, C 759.

Epicureis et Stoicis (id quod ut postea accuratius disseram ex Symposio apparet): iocatur idem et de certis philosophis veluti de Arcesilao et de moribus quibusdam perversis qui multis philosophis communes erant. Quae cum ita sint, nil mirum si Lucianus [1]) eum inducit γελῶντα ἀεὶ καὶ πολλὰ τοὺς ἀλάζονας φιλοσόφους ἐπισκώπτοντα. Licet Samosatenus ille cavillator cum aequalium mores multo essent praviores multoque digniores qui perstringerentur et omnibus invisi redderentur sui ipsius ingenii aliquid ad Menippum transtulerit, ut defensore quasi aut propugnatore eo uteretur: fundamentum profecto atque principium ut ita dicam facetiarum in ipsius moribus scriptisque positum invenit. Irridebat autem Menippus vivos solos philosophos. Arcesilaus enim qui propter luxuriam reprehendebatur a. CCXXXXI mortuus est. Epicurei sive discipuli Epicuri qui a. CCLXX diem supremum obierat ad voluptates atque libidines propensissimi erant. Stoicorum denique princeps, Zeno Citieus, aequalis fuit Menippi Gadareni: defendebant autem illi miram quandam rationem quam constituerant de mundo modo intereunte modo oriente. Etiam Lucianus [2]) testis est Menippum invectum esse in aequales sive in vivos philosophos. At multo saepius insultat apud eum cum priscis philosophis tum iis qui aequales erant Luciani. Concedo: id autem nego re vera iam a Menippo exagitatos esse Pythagoram [3]), Empedoclem [4]), Platonem [5]), Antisthenem [6]): Lucianus ipse cum nominatim hos philosophos ludentem eum faciat semper apud inferos versantem eum ibique cum philosophis illis colloquentem inducit. Colloquentem dico eum inducit, ita ut facile colligatur Menippum semper in philosophos ipsos qui aderant, i. e. qui aequales ipsi erant, invectum esse. Addidisse igitur novi aliquid hic videtur Lucianus Menippi moribus consuetudinique agendi licentia quadam vel exaggeratione usus: atque ob hanc ipsam causam, ut licentia illa excusaretur, mor-

[1]) Mort. Dial. 1, 2.
[2]) Mort. Dial. 1, 1 et 1, 2.
[3]) ib. 20, 3.
[4]) ib. 20, 4.
[5]) ib. 20, 5 et 21.
[6]) ib. 20, 5.

tuum eum apud inferos disputantem finxit cum philosophis iam diu mortuis. Spatiatur ibi *μόνος τῶν ἄλλων γελῶν*[1]) et a Philodemo philosopho iubetur *ἀποθέσθαι τὴν ἐλευθερίαν καὶ παρρησίαν καὶ τὸ ἄλυπον καὶ τὸ γενναῖον καὶ τὸν γέλωτα.* Laeti atque hilares praeter Diogenem soli sapientes illi septem a Menippo ibi inveniuntur[2]) et praedicantur: ceteros omnes carpit maledico dente. Neque minus apud Lucianum insultat in corruptissimos atque pravissimos illos philosophos, qui aequales erant Luciani ipsius. Et profecto nullam aliam ob causam quam quod iam ante a. fere CCCC Menippus libere et audacter sententiam suam dicere et defendere et praeter ceteros philosophos suae aetatis illudere ausus erat, societate quadam et foedere eum sibi adiunxit neque aptiorem propugnatorem aut socium invenire poterat is qui idem spectabat, praesertim cum multo maior materia tunc esset et causa deridendi. Etenim eos philosophos, qui Luciani erant temporibus, omnibus libidinibus atque vitiis, avaritiae, simulatationi, adulterio, aliis deditos multoque turpiores fuisse quam Menippi aequales inter omnes constat· Pietatem, abstinentiam, doctrinam simulantes discipulos sese esse priscorum illorum philosophorum ostentabant: habitu atque captione stultitiam, vanitatem, libidinem detegebant. Atque in Necyomantea et Icaromenippo Menippus insultans in philosophos illos inducitur a Luciano: nunquam ibi ut in Mort. Dialogis auctores ipsi singularum sectarum commemorantur aut perstringuntur: dicitur ibi de toto ordine Stoicorum, Academicorum, Epicureorum, Peripateticorum,[3]) atque ita quidem ut appareat dici de depravatis illis ordinibus quales erant Luciani temporibus. In Icaromenippo c. 16 nominatim vituperantur a Menippo Hermodorus Epicureus, Agathocles Stoicus, Herophilus Cynicus: de quibus quamquam nihil constat tamen verisimile est aequales eos fuisse Luciani ceteris turpitudine atque avaritia praestantes. Cynicis quidem iam Menippum illusisse non probabile videtur: aliter res se habebat Luciani aetate qua iam ipsi Cynici non minus ridendi erant quam reliqui philosophi. Vivum igitur

---

[1]) ib. 10, 10.
[2]) Mort. Dial. 20, 4.
[3]) Icarom. 29.

Menippum — vivus enim inducitur et in Necyomantea et in Icaromenippo — Lucianus priscos philosophos, veluti Socratem, Platonem, Aristotelem, Pythagoram, Xenophanem, Democritum nequaquam nominatim illudentem facit, Lucianus contra ipse haud semel illos ludificatur. Quae cum ita sint optimo iure statuemus Menippum vivum neque verbis neque scriptis nominatim unquam in priscos illos philosophos, sed in aequales solos ita invectum esse, ut singulorum ridicula placita et metaphysicas subtilitates tam secum ipsis quam cum omni probabilitatis specie pugnantes luderet. Lucianus quidem eam ob causam Menippum insultasse in aequales philosophos dicit, quod rixandi inter sese cupiditate flagrarent dialecticisque argutiis ad animos captandos uterentur. Atque haec de philosophorum ludificatione.

Praeter philosophos autem Menippum etiam religionem popularem cavillatum esse ex eo libro conicio qui inscriptus erat *Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου.* Atque in hoc quoque genere cavillandi Lucianus imitandum eum sibi proposuit: induxit autem eum minus vel rarius diis ipsis quam fabulosis illis opinionibus quales a maioribus de heroibus, vatibus, metempsychosi, rebus inferis, aliis traditae erant, illudentem. Ut Lucianus in Epistolis Cronicis Saturnum potissimum traducit, ita Menippus Iovem praeter ceteros in Icaromenippo irridet. Inprimis autem in Mort. Dialogis et in Necyomantea aequalium ineptissimis sententiis insultat, quas de rebus inferis sibi finxerant: ludit ibi pretium quod solvendum sit pro Acherontis traiectu, ludit metempsychosin, ludit iudicia Minois neque minus invehitur in Amphilochum, Trophonium, Tantalum, Chironem, Charontem, Aeacum, multos alios. Et profecto: in rebus inferis quales veteres sibi finxerant permulta fuisse quae facile perstringi potuerint nemo negabit. Itaque quamquam nullo testimonio confirmatur a Menippo res inferas in ludicrum examen esse vocatas, tamen veri simillimum est illum etiam ad hoc genus cavillandi sese convertisse.

Denique Lucianus persaepe in divites atque principes insultat. Quid igitur mirum si etiam Menippum Cyro, Croeso, Xerxi, Midae, Sardanapalo apud inferos illudenten inducit eundemque cum ex Orco ad lucem reverteretur Philonidi narrantem facit pauperibus poenas dimidio minores quam malis,

i. e. divitibus solvendas esse apud inferos.[1]) Ex librorum Menipporum indicibus effici non potest reges, tyrannos, divites ab eo irrisos esse: attamen pro certo affirmaverim veteres Cynicos qui re vera simplicem et frugalem vitam degebant, valde indignatos fuisse si quos superbe effuseque viventes videbant neque retineri potuisse quin eos qui rebus maxime spernendis dediti essent dente ut ita dicam maledico carperent. Itaque mirum profecto esset, si Menippus stultitiam eorum qui divitias, laudes, honores appetebant non exagitavisset, praesertim cum Lucianus Menippum iis potissimum, qui vivi divitiis et honoribus ceteris praestiterant, mortuis irridentem faciat.

Vidimus igitur Menippum senem in philosophos aequales, in deos aequaliumque religiones populares, denique in divitiarum atque honorum studia invectum esse. Itaque haud ita mirum videbitur quod aequales acerbissimis facetiis eum contumeliarumque aculeis persequebantur et ut hominem corruptissimum, cuius ratio vivendi valde discreparet ab ipsius philosophia atque disciplina, descripserunt. Quo factum est ut etiam Diogenes Laertius nihil nisi iniquum de eo referret: nos omnibus testimoniis examinatis atque diiudicatis aliam Menippi imaginem expressimus.

Videamus nunc quae fuerint Menippi scripta quaeque fragmenta ad nostram aetatem pervenerint. Ex iis autem qui de scriptis eius certiores nos faciunt primum Diogenem Laertium[2]) pono: *τὰδ᾽ οὖν τοῦ Κυνικοῦ βιβλία ἐστὶ δεκατρία, Νεκυία, Διαθῆκαι, Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου, Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ᾽ αὐτῶν εἰκάδας, καὶ τἄλλα.* De argumentis autem librorum singulorum cum nihil relatum sit coniectura colligere pauca possumus.

Atque Necyias index haud dubie repetitus est ab Odysseae Homericae libro undecimo, neque profecto a vero aberrabimus si dialogo *Μένιππος ἢ Νεκυομαντεία* qui Luciani nomine fertur prorsus imitatione expressam esse Necyiam Menippeam

---

[1]) Necyom. 14.
[2]) 6, 101.

coniecerimus. Itaque recte nobis videmur statuisse hac ipsa inferorum descriptione cum philosophos tum inferos contumeliose irrisos esse.

Διαθηκῶν autem libro, quem Varro haud dubie ea satira quam Testamentum inscriptam fuisse Gellius [1]) memoriae prodidit imitatus est mira illa philosophorum consuetudo quod testamenta condere solebant facete traducta est. Consuetudinem enim illam dignam fuisse quae in risum verteretur veteres testantur. Diogenes quidem Laertius, Athenaeus, Cicero, Lucianus, Philostratus, Photius nobis tradiderunt, quam ridicula fuerint testamenta Aristotelis [2]), Lyconis Troadensis [3]), Theophrasti [4]), Epicuri [5]), Peregrini Protei [6]), Lampetii haeretici [7]).

Tertio loco a Diogene *Ἐπιστολαὶ κεκομψευμέναι ἀπὸ τοῦ τῶν θεῶν προσώπου* afferuntur. Quae quidem Epistolae ex deorum personis scite compositae praeter ceteros libros Menippi memorabiles videntur, primum quod in epistolarum formas redactae, tum quod ibi non philosophorum placita, sed ipsi dei traducti erant. Lucianus autem, aemulator ille Cynici Gadareni, has Epistolas ita imitatus est, ut et formas eo libro qui inscriptus est *Ἐπιστολαὶ Κρονικαὶ* et sententias haud ita paucis Dialogis Mortuorum, id quod iam supra statuimus, effingeret.

Sequuntur apud Diogenem haec: *Πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικοὺς καὶ γονὰς Ἐπικούρου καὶ τὰς θρησκευομένας ὑπ' αὐτῶν εἰκάδας.* Quibus verbis utrum unus an plures libri significentur haud facile est dictu: mihi unius operis maioris index esse videtur. Nam si plures libros indicare voluisset Diogenes, non dubito quin praepositionem *πρὸς* iteraturus fuerit [8]). Itaque in quattuor partes

---

[1]) 3, 16. 13.

[2]) Diog. Laert. 5, 11.

[3]) ib. 5, 69.

[4]) ib. 10, 16.

[5]) ib. 5, 51. Athen. 5, 187. Cic. de fin. 2, 99 sq.

[6]) Luc. de Morte Peregr. 41. Philostr. 7, 35. p. 314.

[7]) Photius. Bibl. 53, 19.

[8]) cf. F. V. Fritzsch. de script. sat. spec. 4, p. 8, qui cum non unam sed duas hic significari satiras in oculos incurrere argumentetur ita legendum esse censet: *πρὸς τοὺς φυσικοὺς καὶ μαθηματικοὺς καὶ γραμματικούς· καὶ (πρὸς) γονὰς Ἐπικούρου κτε.*

opus divisum fuisse crediderim, quarum prima Menippus in Jonicos atque Eleaticos physicos, quales tunc erant, principiis rerum investigandis deditos acerbe invectus minutis eos et ineptis quaestionibus operam navare demonstrabat. Insequenti parte eos increpabat qui nihil antiquius habebant quam ut via ac ratione mathematicen et astrologiam persequerentur. Tertia pars pertinebat ad grammaticos qui in veterum scriptorum libris explicandis occupati minutissimas res tractabant: omnino ut Cynicus verus et sincerus Antisthenem [1]) secutus litteras non discendas dixit et *ἐγκύκλιον παιδείαν* cavillatus eam ob causam despexisse videtur, quod *κατ' ἀρετὴν ζῆν* homines prohiberet. Verisimile est eundem Menippum cum physica atque grammatica luderet etiam in dialectica insultasse. Quarta denique pars ad Epicureos sive ad Epicuri discipulos referenda est. Nam *γονὰς* hic nihil esse nisi liberos vel proles apparet neque video quam ob rem et Franciscus [2]) et Theodorus [3]) Fritzschius artificiosam quandam interpretationem optimam ibi et aptissimam esse censeant, cum allusum esse dicant ad elogia *Διὸς γοναὶ* vel *Ἀθηνᾶς γοναί*. Liberos autem alicuius vel *γονὰς* appellatos esse discipulos eius vel *μαθητὰς* multis exemplis probatur: is autem qui novam philosophandi rationem constituerat saepe ut honor tribueretur pietasque praestaretur conditori ab iis qui disciplinam eius profitebantur pater sive *πατὴρ* nominabatur. Atque Epicurus ipse a Lucretio [4]) pater dicitur. *Εἰκάδες* autem quid significent ex Epicuri illo testamento apparet quod Diogenes Laertius 10, 8 affert: ibi Epicurus discipulos iubet sibi *εἰς τὴν εἰθισμένην ἄγεσθαι γενέθλιον ἡμέραν, ἑκάστου ἔτους τῇ προτέρᾳ δεκάτῃ τοῦ Γαμηλιῶνος· ἔτι δὲ εἰς τὴν γενομένην σύνοδον ἑκάστου μηνὸς ταῖς εἰκάσι τῶν συμφιλοσοφούντων αὐτῷ εἰς τὴν ἑαυτοῦ τε καὶ Μητροδώρου μνήμην κατατεταγμένην.* Itaque Epicurei laeto lautoque convivio *τὰς εἰκάδας* uniuscuiusque mensis celebrabant, quare ab Athenaeo [5]) *εἰκαδισταὶ* appellati sunt. Itaque illos *εἰκάδας*

---

[1]) cf. Diog. Laert. 6, 103.
[2]) de script. sat. spec. 4, p. 8.
[3]) Menipp und Horaz p. 12.
[4]) de rer. nat. 3, 9.
[5]) 7, 298. cf. Plin. 35, 2.

πολυτελέστατα δειπνοῦντας ut ait Plutarchus[1]) in libidinibus quasi sese effudisse verisimile est.

Haec habui quae de iis Menippi libris dicerem quorum Diogenes Laertius mentionem facit. Etenim ea quae idem 6, 29 affert: *φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους Πράσει* depravata esse puto et pro *Μένιππος* legendum esse *Ἕρμιππος* censeo. Legebat ita iam Ambrosius[2]), interpres Diogenis, atque confirmatur interpretatio illa J. Sambuci[3]) opera, qui eam ex aliquot exemplaribus velustissimis emendatam repetebat. Probabatur eadem lectio *Ἕρμιππος* etiam Menagio[4]), Lozynskio[5]), Huebnero[6]). Omnino autem lectionem *Ἕρμιππος* unam rectam esse iam inde apparet quod Diogenes Laertius neque in Menippi scriptis enumerandis (6, 101) Auctionem illam commemorat neque unquam Menippi testimonio utitur: Hermippus vero, cuius *Βίοι* supra memorati sunt, persaepe auctor vel testis a Diogene adhibetur, atque verba ipsa quae ex Diogenis Auctione de Cynico a piratis capto et in servitutem abducto allata sunt sunt Hermippo optime conveniunt.

Praeter Diogenem Laertium Athenaeus, gravissimus auctor duobus de libris Menippi, qui inscripti erant *Ἀρκεσίλαος* et *Συμπόσιον,* rettulit: servavit autem ille non solum indices, verum etiam fragmenta librorum ipsorum. De Arcesilao primum Athenaeus quaerens, quam diversis nominibus a Spartiatis, Doribus, ceteris Graecis mensae secundae significentur, haec[7]) adscripsit: *Μόλπις δ' ὁ Λάκων τὰ παρὰ τοῖς Σπαρτιάταις ἐπαίκλεια, ὅ σημαίνει τὰς ἐπιδειπνίδας, ματτύας φησὶ λέγεσθαι παρὰ τοῖς ἄλλοις· ὁ δὲ Κυνικὸς Μένιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσιλάῳ γράφει οὕτως· πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκέλευσεν εἰςφέρειν Λάκαινά τις·*

[1]) II, p. 1089.

[2]) H. Stephanus: corr. Brognolum, qui Ambrosium recognoverat (cf. Huebner. ed. Diog. Laert. I, 14).

[3]) Ambrosii interpret. recogn. et emend. F. Sambuc. Antverp. 1566.

[4]) cf. Aeg. Menagii observ. in Diog. Laert. VI, 29; ed. G. Huebner. vol. II, p. 20.

[5]) Hermippi fragm. p. 40.

[6]) Diog. Laert. ed. Huebner. II, p. 21. cf. Th. Fritzsch. Menipp und Horaz p. 13.

[7]) 14, 664. e.

καὶ εὐθέως περιεφέρετο περδίκια καὶ χηνία ὀπτὰ καὶ τρύφη πλακούντων. τὸ δὲ τοιοῦτον δεῖπνον οἱ μὲν Ἀττικοὶ προςηγόρευον ἐπιδόρπισμα, οἱ δὲ Δωριεῖς ἐπάϊκλον, τῶν δ' ἄλλων Ἑλλήνων οἱ πλεῖστοι ἐπίδειπνα. Constituerat autem Arcesilaus, Menippo fere aequalis, mediam quae dicitur Academiam atque Diogene Laertio[1]) auctore tam erat luxuriosus, ut alter Aristippus appellaretur: unus omnium in maxima aequalium admiratione erat gratiaque ita florebat ut vel Epicuri excitaret invidiam.[2]) Itaque non errabimus si cibos delicatissimos fragmento illo allatos respicientes coniecerimus eo libro qui *Ἀρκεσίλαος* inscriptus erat Menippum esse invectum cum in cenas lautiores atque voluptatum cupiditates tum in Aristippi discipulos.

Alterum Menippi Cynici librum Athenaeus 14, 629 e commemorat *Συμπόσιον*. Ibi cum de arte saltandi agatur compluribus saltationibus allatis Athenaeus ita pergit: *καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ Κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ.* Ac primum quid sibi vult *κόσμου ἐκπύρωσις*? Haud dubie verbis iilis Menippus iocatus est vel de Heracliti Ephesii vel, id quod veri similius videtur, de Stoicorum doctrina. Etenim ille prinpium rerum esse ignem ratus *ἔριδι* et *πολέμῳ* omnia gigni, *ὁμολογίᾳ* et *εἰρήνῃ ἐκπύρωσιν* fieri persuasum habebat, cum deus ludens sexcenties mundum exstrueret, exstructum certis temporibus combureret denuo eum aedificaturus.[3]) Stoicis autem placebat certo temporis spatio praeterito Deum sive numen divinum omnes res ita recipere, ut omnia mundi exustione conflagrare iuberet: ex hac exustione mundum denuo oriri haud ita dissimilem ei, qui igne periisset, denuoque incendio conflagraturum. Atque hanc quidem rationem mundi igne aetherio sive exustione modo intereuntis modo orientis festive traduxisse videtur saltationis cuiusdam imagine quam *κόσμου ἐκπύρωσιν* nominabat. Quamquam praeterea nihil de saltatione illa constat. Occurrit autem quaerentibus nobis quod fuerit argumentum Symposii Menippei Symposium a Luciano, Menippi imitatore conscriptum, in quo

---

[1]) 4, 40.
[2]) cf. Plutarch. adv. Colot. c. 26.
[3]) cf. Luc. *Βίων πρᾶσις* 14.

philosophos multos cum summo dedecore convivio quasi aliquo Lapitharum ab Aristaeneto apparato interfuisse narrat: continebatur fortasse etiam Menippi Symposio, sive fictum sive revera factum erat, generalis philosophorum vituperatio vel cavillatio.

Tertium denique fragmentum Menippi apud Athenaeum 1, 32 e commemoratum invenimus, non nominato libro ex quo petitum est. Atque laudatur ibi quidem variorum vinorum mentione facta *ὁ Μύνδιος καὶ ὁ ἀπὸ Ἁλικαρνάσσου οἶνος*: sequuntur autem haec: *ὁ γοῦν Κυνικὸς Μένιππος ἁλμοπότιν τὴν Μύνδον φησίν.* Quae Menippi verba *ἁλμοπότιν Μύνδον* poeticam prae se ferre speciem Wachsmuthius[1]) persuasum habet et Riesius[2]) recte eum iudicasse coniectura perquam probabili censet. Etiam F. V. Fritzschius[3]) verbis illis duobus hemistichium hexametri contineri pro certo affirmat. Et profecto optimo iure fragmentum ibi poesis Menippeae exstare propterea argumentari illi potuerunt, quod Menippum non solum prosae orationis verum etiam carminum scriptorem fuisse veterum testimoniis probatur. Sed poesis Menippi Cynici mentione facta iam ad quintam huius dissertationis partem perveni, cum quaestio de hac ipsa poesi instituenda haud facile disiungi possit a forma scriptorum Menippeorum cognoscenda.

Atque ut praeoccupans quasi (etenim procedente denique demonstratione mea quid sentiam planius apparebit) breviter strictimque exponam quae mihi videantur de forma Menippeorum librorum: Menippus, satirarum scriptor, in iisdem libris oratione et ligata et soluta utebatur; ligata autem oratio vel poesis partim ab eo ipso composita partim ex aliorum poetarum libris parodia, quae dicitur, deflexa erat; denique dialogum usurpabat.

Primum igitur satirarum scriptor fuit Menippus. Etenim suo iure Probum ad Verg. ecl. 6, 31 de satiris a Menippo conscriptis dixisse statuo atque hoc loco demonstraturus sum. Apparet autem Probum a Romanorum satira Menippea quae nominatur, qualem primus inter Romanos Varro composuit, profectum satirae nomen quod proprium erat Romanorum ad Grae-

---

[1]) de Timone Phlias. ceterisque sill. Gr. p. 43.

[2]) l. l. p. 11.

[3]) de script. sat. spec. III, 7. cf. Th. Fritzsch. Menipp und Horaz. p. 14.

cum scriptorem transtulisse. Concedo satiram totam Romanorum esse, sed non ita totam, ut Quinctiliano[1]) auctore Casaubonus[2]) eumque secuti multi viri doctissimi statuerunt. Etenim sola varietas metrorum vel potius oratio devincta qualis una adhibebatur in Romanorum priscis satiris tota erat Romanorum: argumenta quae in iisdem satiris inveniuntur facile a Graecis, apud quos exstabant praestantissima exempla, repeti poterant. Itaque quid mirum si Horatius[3]), ipse satirarum scriptor, respiciens nimirum sola argumenta Lucilium a prisca Graecorum comoedia omnem pendere exposuit. Ergo concedo satiricos propria atque principali satirae significatione apud Graecos non exstitisse. Exstiterunt autem iam multo ante Lucilium qui idem atque Romanorum satirici spectarent. Etenim satira (agitur solis de argumentis) scriptio est libera atque soluta et plena iocorum, qua vel certi vitia hominis nominatim vel genera vitiosorum acerbe castigata ludibrio habentur vel si res ferat divina humanaque omnia in risum vertuntur; ceterum satira neque ut epodus Archilocheus conviciis pugnat, sed argumentis, neque παρῳδῶν meris iocis contenta est, sed alios ubique insectatur neque malo κιναιδογράφων exemplo ad obscoena necessario descendit. Nomen igitur proprium iis qui talia scripserunt apud Graecos non fuit. Plerumque autem eiusmodi scriptores σπουδογέλοιοι nominati esse videntur. Atque hoc cognomen Menippo saepius inditum inveniri iam supra vidimus. Libri autem quos conscripsit Menippus ὁ σπουδογέλοιος, cum ut postea accuratius disseram partim soluta oratione partim versibus continerentur, tam prope ad ipsas Romanorum satiras accedebant ut inde peculiare genus scribendi Romanorum oreretur, satira Menippea, qualem Varro, Seneca, Petronius Arbiter memoriae prodiderunt. Atque ab hac satira Menippea quae tota quodammodo Graecorum erat nescio an Probus satirae nomen Romanum repetiverit suoque iure ad Menippi genus scribendi transtulerit, neque est cur Oehlerus[4]) Probo fidem neget et Casaubonum[5])

---

[1]) 10, 1, 93.
[2]) de sat. Graec. poesi et Rom. sat.
[3]) Sat. I, 4, 1—6.
[4]) l. l. p. 28.
[5]) l. l. p. 203 sq.

secutus male a grammatico isto libros Menippi satiras appellatas sese argumentetur. Iam ad ipsam formam librorum Menippeorum transeamus.

In Varronis satira Menippea — etenim ab hac proficiscendum est quaerentibus qualis fuerit Menippi ipsius librorum forma — prosam orationem et poesin permixtam esse constat. Varronem autem in satiris Menippi potissimum genus scribendi imitandum sibi proposuisse per se ipsum probabile videretur, etiam si veterum testimonia deessent. Aliter unus ex veteribus sentit Quinctilianus 10, 1, 95, qui ut hic iterum Graecis saturam prorsus extorqueret conditum esse dicit a Ter. Varrone satirae illud genus, quod non solum carminum varietate, verum etiam prosa oratione mixtum sit. Ita enim Quinctiliani verba de quibus agitur interpretanda esse censeo [1]. Falsa autem Quinctilianum rettulisse paullo ante ostendi. Rectius nimirum atque verius Probus Varronem Menippeum esse nominatum dicit a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras expoliverit. Certe: societas aliqua ingenii et in populari philosophia et in risu movendo inter Menippum et Varronem intercedebat; atque eam nimirum societatem ingenii respicientes nonnulli Gellio auctore satiras eius appellabant Cynicas. Multo autem est maioris momenti, quod Probo auctore prosa oratione magnam partem iam Menippus libros conscripserat, quibus ut politura quaedam maior adiceretur, carmina varia inseruerat. Atque ob eam potissimum causam Varro, quod suum ipsius genus scribendi prorsus ad Menippi similitudinem expressit, Menippus sive *Μενίππειος* nominatus est [2]. Poesin igitur atque prosam orationem permixtam fuisse in Menippi satiris ex fragmentis potissimum qualia exstant Varronis Menippearum satirarum concludo. Confirmant autem Probi iudicium plane non solum A. Gelius II, 18 sive Macrobius sat. I, 11, quibus auctoribus M. Varro Menippi libros in satiris Cynicis sive Menippeis dicitur aemulatus esse, verum etiam ipse Varro ap. Cic.

---

[1] cf. Rhein. Mus. 24, 140. Riese. l. l. p. 7. Welcker: Theogn. proleg. XCIII.

[2] cf. Prob. l. c. Athen. 4, p. 160 c. Arnob. adv. gent. 6, 23. Symmach. epist. 2, 17. Diomed. p. 371. Charis. p. 118. Eutych. p. 2168.

cad. Post. I, 2, 8, ubi se Menippo imitando, non interpretando philosophiam inchoasse profitetur.

Praeter Varronem Meleagrum iuvenem Menippi vestigiis institisse supra diximus. Ex fragmentis autem vel titulis librorum, de quibus hoc loco agitur, id modo colligi potest Menippum cum seria iocis misceret scriptorem fuisse dulcem atque aptum ad alliciendos et delectandos legentium animos, de forma librorum Menippeorum ipsorum inde nihil sequitur.

Exstat autem tertius isque gravissimus imitator Menippi, Lucianus, apud quem frequentissima et vivis coloribus expressa est persona Menippi. Nec fugere quemquam potest de industria Lucianum tam crebro nec proinde ut ceteris persona Menippi usum esse. Novit ille huius libros, quibus cum alia hominum vitia tum philosophorum ridicula et stolida dogmata perstrinxerat. Neque ille novit solum, verum etiam imitatus est. Quam imitationem Menippi ipse satis aperte indicat in Pisc. c. 26 et Bis Acc. c. 33, cum se Menippi cavillationem cum aliorum tum philosophorum et Cynismum imitandum sibi proposuisse ibi dicit. Sed, id quod hoc loco gravissimum est, etiam formam qualem adhibuerit in libris Menippus in Bis Acc. c. 33 significavit et se imitatum eam esse professus esti. Etenim Dialogus a Luciano, dum Menippum imitetur, se male tractatum esse his verbis querens inducitur: *τὸ γὰρ πάντων ἀτοπώτατον, κρᾶσίν τινα παράδοξον κέκραμαι καὶ οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα, ἀλλὰ ἱπποκενταύρου δίκην σύνθετόν τι καὶ ξένον φάσμα τοῖς ἀκούουσι δοκῶ.* Quo loco *πεζὸς* non ad humilem vulgaremque usum dicendi, sed ad sermonem utique prosaicum pertinere ea quae opponuntur „*οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα*“ dilucide ostendunt; neque vero illis *οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα* talem utriusque sermonis confusionem significari, qualis sit in illa *πεζῇ ποιητικῇ* quo nomine Lucianus [1]) rerum gestarum historiam prosa oratione quidem conscriptam sed verbis poetice sonatibus abutentem designet, recte Riesius [2]) argumentatur. Itaque prosaico et poetico sermone Menippi libellos fuisse compositos e Luciani

[1]) *Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν*, c. 8.
[2]) l. l. p. 12.

verbis apparet. Habemus igitur locupletissimum testimonium κρᾶσίν τινα poesis et prosae orationis in Menippi satiris fuisse, neque minoris momenti forma mihi videtur Luciani ipsius scriptorum, qualem usurpabat in Jove Tragoedo, Convivio, Nigrino, Alexandro, Icaromenippo, Necyomantea, multis aliis libris. Conflati enim sunt omnes sermones illi quibus philosophi potissimum irridentur e pedestri oratione et versibus. Menippi igitur libros — etenim complecti placet ea quae adhuc disserui — et soluta oratione et versibus compositos fuisse dilucide perspicitur ex fragmentis Varronis saturarum Menippearum, ex Luciani libris quos ad imitationem Menippi conscriptos esse constat, ex iis testimoniis quae veteres tradiderunt de ratione illa qualis intercesserit inter Varronis et Menippi satiras, denique ex gravissima Luciani ipsius auctoritate. Ante Menippum autem iam exstitisse qui utrumque sermonem coniunxerint non habemus compertum. Etenim quod Prellerus [1]) e Diogenis verbis 4,52 concludit inter varia genera quibus Bionem Borystheniten, is qui solus hoc in genere dicendi vel scribendi Menippo componitur, orationem suam temperasse ibi dicitur de prosa quoque et poesi alternantibus cogitandum esse, non satis ipsa verba respicit, quibus genus tumidum et sufflatum (ap. Diog. τὸ θεατρικόν) cum ridiculo et scurrili (τὸ γελοῖον) mixtum hisque additas parodias efficere illud πᾶν εἶδος λόγου demonstratur [2]).

Itaque quoniam constat Menippum versus interposuisse libris, quaeritur qualis fuerit ipsa illa qua utebatur poesis. Scripserat ille quidem et ipse carmina et aliorum poetarum versus parodiis deflexerat. Ergo tu Menippum ipsum poetam fuisse censes? Censeo equidem iamque explicabo quibus causis perductus sim ad hanc sententiam dicendam. Exstant enim duo veterum testimonia quibus me recte iudicare apparet. Unum affert Suidas s. v. Μένιππος, alterum Photius in Bibl. 167, p. 115. Quae testimonia quominus ad Menippum Cynicum Gadarenum referantur cum nihil obstare intellexissem, valde miratus sum, quod Oehlerus [3]) neminem fore putat, qui Menippum poetam

[1]) cf. Anal. litt. Jenens. 1847. p. 621 sq.

[2]) cf. Welcker. praef. Theog.n p. 87. Wachsmuth. l. l. p. 40 sq. Ley. l. l. p. 8 sq. Th. Fritzsch. l. l. p. 4 sq.

[3]) l. l. p. 28.

facere vellet, cum carmina pepigisse eum neque praeter Probum alius veterum scriptorum quisquam tradiderit neque indicium exstet ullum. Certe exstant testimonia et tradiderunt Suidas et Photius carmina eum pepigisse. Sed ad ipsa Suidae verba iam transeamus. Legimus apud Suidam haec: *Μένιππος Κωμικός· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες καὶ ἄλλα.* Verba autem quae ibi hunc in modum praecedunt: *Μένιππος ὁ Κυνικός· ἔστιν ἐν τῷ ‚φαιός'* ex fabula illa quam Suidas s. v. *φαιός* refert de Menippo Cynico petita atque Bernhardio [1]) auctore interpolata esse censeo, neque maior fides habenda est iis quae s. v. *φαιός* Suidas nescio quo modo deceptus de Menippo memoriae prodidit: falsa enim ea esse atque ad Menedemum Cynicum, non ad Menippum pertinere testis est Diogenes Laertius 6, 102. Relinquitur igitur a Suida unus Menippus, is qui *δράματα* scripserat. *Δράματα* autem *κωμικὰ* qualia iam Timon Phliasius conscripserat cum Meinekio [2]) intellegere malim carmina *σκωπτικὰ* colloquentium personarum vicibus utcunque distincta quam iustas comoedias. Etenim quod comicus dicitur Menippus et quod dramatum nomine libri eius significantur in eo non est quod quis haereat, cum latissime apud veteres pateret usus et significatio verborum *κωμικὸς* et *δρᾶμα,* veluti voces *κωμῳδία* et *κωμῳδεῖν* passim de quovis ludibrii genere usurpantur [3]). Luciano ipsi quod *Μένιππον ἀνέπεισε ξυγκωμῳδεῖν αὐτῷ τὰ πολλὰ* in Pisc. 26 a Diogene crimini datur. Itaque non est cur pro *Κωμικὸς* scribatur *Κυνικός*, id quod voluit Meinekius in add. et corr. ad com. Gr. I p. 494 in vol. V, p. 12: etenim Menippus Cynicus *σπουδογέλοιος* optime nominari poterat *Κωμικός*. Statuimus igitur Menippum carmina pepigisse iocis vel contumeliis referta, atque eadem in philosophos potissimum facta esse ex titulis librorum concludo. Etenim Cercopas appellasse philosophos videtur ob astutiam, *Ὄφεις* ob virulentam malignitatem. *Ὄφεις* autem Menippus philosophos item nominare potuit irridendi causa, sicut Aristides [4]) cum serpentibus philosophos suae aetatis comparavit. Nolo hoc

[1]) ed. Suid. lexic. II, p. 784.
[2]) hist. crit. com. p. 527.
[3]) cf. Lobeck. Aglaoph. p. 977.
[4]) Pro Quatuorviris p. 313, 2 (II, p. 410 ed. Dind.).

loco disceptare, utrum verbis *Κέρκωπες* *Ὄφεις* duorum Menippeorum carminum tituli contineantur an unum carmen significetur [1]), non dicam hoc loco de dramate *Δίες* inscripto, quod ab ignoto aliquo poëta compositum ex Aelio Dionysio apud Eustath. ad Hom. p. 1384, 46 Meinekius [2]) Menippo tribuit. Cavendum enim est ne iusto plus colligatur ex testimoniis non satis apertis.

Praeter Suidam Photius mentionem facit poesis Menippeae in Bibl. 167, p. 115, ubi inter poetas ab Jo. Stobaeo excerptos etiam Menippus ponitur. Quod testimonium quin pertineat ad Cynicum illum Gadarenum non dubito, praesertim cum vestigia quamvis pauca poesis illius iam antea in verbis *ἁλμοπότιν Μύνδον* invenerimus.

Fuit igitur Menippus ipse poeta, atque versibus quos ipse composuerat, sicut post eum Varro fecit, prosae orationi insertis varium et elegans omni fere numero genus scribendi efficere potuit. Quales autem aut quot versus libris inseruerit difficile est dictu. Etenim ex libris Varronis, scriptoris Latini, hoc in genere nihil effici potest. Sed non ita multos versus illos fuisse pro certo affirmaverim, cum Menippea poesis exiguis sane finibus contenta esse videatur. Multo autem plures versus ex aliorum poetarum carminibus eum sumpsisse atque suis libris immiscuisse testis locupletissimus est Lucianus, qui parodiis saepe uti consuevit. Etenim ita potissimum aliorum versus Menippus usurpabat ut parodiis eos deflecteret. Quae quidem parodiae quod raro inveniuntur in Varronis fragmentis, haudquaquam sequitur Menippum abstinuisse parodiis. Praeterquam enim quod sermo Latinus hanc artem vix ferre videtur Romani non Homerum vel Euripidem quibus apte abuti liceret habuerunt. Lucianus autem qui omnibus Menippi insistebat vestigiis, cum ipse non esset poeta, quid aliud facere poterat ut libros expoliret quam ut versus ab aliis poetis peteret et iis in suis ipsius libris aut ad verbum expressis aut quantum fieri poterat mutatis tale varii generis opus efficeret quale a Menippo iam expressum

---

[1]) cf. F. V. Fritzsch. spec. 5, p. 5. Th. Fritzsch. l. l. p. 14. Meineck. Vindic. Strabon. p. 234.

[2]) Vind. Strab. p. 234 sq. cf. Ries. l. l. p. 10. F. V. Fritzsch. spec. 5, 6. Th. Fritzsch. l. l. p. 15.

invenit. An putabimus tam saepe Lucianum inducturum fuisse Menippum parodiis utentem, nisi in illius libris exempla invenisset quibus versus aliorum poetarum sive carmina imitatum eum esse atque in risum deflexisse demonstraretur. Et profecto! parodias ex alienis versibus Menippi libris insertas fuisse etiam ii qui Menippum poetam fuisse negant concedunt praeter unum Oehlerum [1]), quem falsissime argumentatum esse facile perspicitur. Etenim etiamsi Necyomantea illa ex qua Casaubonus [2]) causas repetiverat cur παρῳδὸν illum diceret, a Luciano non scripta sit: etiam in Icaromenippo et in Mort. Dialogis, i. e. in eis Luciani libris ubi primas agit Menippus, testimonia sunt quibus illum usum esse parodiis apparet, neque video quo iure Oehlerus dicat, in reliquis, i. e. Necyomantea excepta, Luciani dialogis Menippeum sermonem quotienscunque inducatur ne semel quidem istum usum (sc. parodiis dicendi) retinere. Immo vero Lucianus, qui [3]) non solum sententias aptas et convenientes illi tribuit, verum etiam sermonis eius nativum colorem servavit, parodias cum Menippus usurpasset ab eodem Menippo quotiens occasio ferebat adhibentem eum fecit: neque, id quod Casaubono [4]) videbatur, traducere iis studebat stilum Cynici Gadareni. Ipse enim Lucianus cum per omnes fere quos scripsit libros dispergeret hanc ipsam alienorum versuum usurpationem neque turpem neque ridiculam esse ostendit. Parodiae autem Menippeae, si Lucianum sequimur auctorem vel imitatorem, ex Homero potissimum atque Euripide derivatae esse videntur. Quamquam plures fortasse poëtae si minus lyrici, quorum numeris Aristophanes in hoc genere utitur, at elegiaci et tragici in parodia potuerunt adsumi. Neque ita inusitatum fuisse Menippi temporibus aliorum versus in risum deflectere vel παρῳδεῖν, testes sunt complures poetae, qui aetate paullo superiores fuerant, Archestratus Gelensis, Matron Pitanensis, Rhinton Tarentinus, Crates Cynicus, Sopater ὁ φλυακογράφος, alii. Inprimis autem hoc loco nominandi videntur Bion Borysthenites et Timon Phliasius. Bion qui a. fere

[1]) l. l. p. 35.
[2]) l. l. p. 206 sq.
[3]) cf. Oehler. p. 33.
[4]) l. l. p. 206.

CCC erat cum alias philosophorum disciplinas tum Cynismum cognovit: erat Diogene Laertio [1]) auctore *πολύτροπος καὶ σοφιστὴς ποικίλος καὶ πλείστας ἀφορμὰς δεδωκὼς τοῖς βουλομένοις καθιππάζεσθαι φιλοσοφίας· ἔν τισι δὲ καὶ κομπικὸς καὶ ἀπολαῦσαι τύφου δυνάμενος:* paullo autem infra (4, 52) haec sequuntur: *ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίῳ διαφορῆσαι —. εὐφυὴς γὰρ ἦν καὶ παρῳδῆσαι.* Menippum vero praeter ceteros Timonis Phliasii aequalis Sillos lectitasse crediderim, e quibus amplissimum apparatum sibi assumpsit, venustas Homeri parodias, acutissimam philosophorum reprehensionem, formam etiam dialogi in libris quidem extremis: Diogene quidem Laertio [2]) teste scripserat ille tres libros Sillorum, quibus in dogmaticos omnes maledicta et convicia ingerebat, versus veterum poetarum parodiis deflectens: ex his primus planam atque perspicuam habebat enarrationem, secundus autem et tertius dialogi speciem tenebant.

Parodiis igitur Menippum usum esse et ex Luciani testimonio sive imagine Menippi ab illo expressa et ex aequalium more studioque parodias usurpandi verisimile videtur. Restat ut pauca disseram de dialogo. Etenim etiam dialogi forma iam scriptos fuisse Menippi libros pro certo affirmaverim, primum quod inter Menippi Cynici scripta *Συμπόσιον* laudatur. Symposiorum autem fere ea fuit ratio, ut homines plures introducerentur de materia quapiam proposita familiariter inter convivium disputantes et tanquam fabulam agentes. Tum Varro saepe sermonibus usus est in satiris Menippeis. Apertissimum autem indicium deprehendere mihi visus sum cum in Luciani ratione scribendi, tum in eo quod Necyomantea illa, cuius *ἀρχέτυπος* imago quin Menippi *Νεκύια* fuerit vix dubitandum est, in dialogi formam redacta est. Nescio an Timon Phliasius, quem dialogi forma in Sillis usum esse supra dixi, hoc in genere Menippo exemplum praebuerit: aptissime quidem conferri posse Timonem et Menippum Th. Fritzschius [3]) demonstravit.

Itaque hoc fuit genus scribendi Menippi: prosa oratio

---

[1]) l. l. 4, 47.
[2]) 9, 111.
[3]) l. l. p. 6 sq.

omnigenis versibus, qui minorem partem ab ipso compositi, maximam ex aliorum poetarum libris petiti erant, et dialogo expolita. Lucianus autem, cui sermo Menippeus ad philosophos potissimum irridendos maxime idoneus videbatur, hoc ipsum genus scribendi absolvit atque philosophorum dialogo atque comicorum ioco artissime et aptissime coniuncto ad summam quasi perfectionem perduxit. Neque enim recte Casaubonus[1]) ex Luc. Prom. I, 6. sq. colligit Lucianum prorsus novum genus scribendi invenisse. Lucianus quidem dialogo cum comoedia coniuncto sese *γέλωτα κωμικὸν ὑπὸ σεμνότητι φιλοσόφῳ* afferre praefatus hac una profecto de causa nullam Menippi mentionem fecit quod ipse furti insimulatus erat, a quo crimine optime se defendit: ibi quidem si Menippum nominasset futurum fuisse ut causa sua male caderet probe sciebat.

Haec habui quae dicerem de titulis, fragmentis, forma librorum Menippeorum, quibus cum in falsam religionem vanasque cupiditates tum in philosophorum aequalium mores atque vitia invehebatur. Omnes autem eius libros multo refertos fuisse risu Diogenes Laertius 6, 99 auctor est: *φέρει μὲν οὖν σπουδαῖον οὐδέν· τὰ δὲ βιβλία αὐτοῦ πολλοῦ καταγέλωτος γέμει.* Neque praetereunda videntur silentio verba quae paullo post insequuntur: *ἔνιοι δὲ τὰ βιβλία αὐτοῦ* (sc. *Μενίππου*) *οὐκ αὐτοῦ εἶναι, ἀλλὰ Διονυσίου καὶ Ζωπύρου Κολοφωνίων, οἳ τοῦ παίζειν ἕνεκα ἐδίδοσαν αὐτῷ ὡς εὖ δυναμένῳ διαθέσθαι.* Haec autem verba ad fenus nimirum Menippeum, quod quo tempore sit exercitum qualeque fuerit supra exposui, spectant. Nam cum Menippus fenore faciendo praeter ceteros floreret, a Colophoniis eam ob causam libros illi esse traditos Diogenes refert, ut exscribendos eos curaret exscriptosque venderet (etenim *διαθέσθαι* hoc loco nihil esse nisi vendere persuasum habeo). Comprobatur igitur etiam hoc loco, quanta in invidia aequalium Menippus fuerit, cum vel libros ipsum composuisse negaretur.

Iam ad finem dissertationis meae perveni. Etenim testimoniis quaecunque a veteribus de Menippo memoriae prodita sunt pertractatis argumentisque recentiorum examinatis demonstravi

---

[1]) l. l. II, 2. p. 209.

inter a. fere CCC—CCXL fuisse Menippum Gadarenum, qui Cynicorum disciplinam professus risu movendo ceteris praestitit et in aequales et sermonibus et libris insultavit. Deinde explicavi qualem formam libri habuerint et quem in modum Varro et Lucianus potissimum formas illorum sententiasque imitandas sibi proposuerint. Vidimus denique eum, qui genus illud scribendi ex prosa oratione atque poesi mixtum dialogoque inserto expolitum condiderit vel primus usurpaverit, cum aequales ad veram virtutem non revocari posse vidisset idemque in multorum invidiam et odium venisset, ultro morti sese obtulisse atque ea, quae memoria digna perfecerat, aliis vituperanda et depravanda, aliis admiranda et imitanda reliquisse.

VITA.

Natus sum Eugenius Wildenow Francofurti ad Viadrum a. d. X. kal. Jul. anni h. s. LV patre Gustavo, matre Adelina e gente Schmidt, quam mihi quinque annos nato morte abreptam esse lugeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis urbana in schola civica quae dicitur superioris ordinis imbutus XII annos natus gymnasium adii Fridericianum. Maturitatis testimonium mense Februario h. s. a. LXXIV adeptus inter cives universitatis Viadrinae Vratislaviensis receptus sum, ubi studiis philologicis operam navavi et scholis interfui vv. dd. M. Hertzii, Reifferscheidii, Rossbachii, Bluemneri, Dilthei, Pfeifferi. Per tria semestria ibi versatus litterarum universitatem petii Halensem cum Vitebergensi consociatam, ubi studia philologica continuavi et praeceptoribus usus sum vv. dd. Erdmannio, Goschio, Haymio, Heydemannio, Keilio, Kramero, Pottio, Zachero. Ibi mihi contigit, ut per tria semestria seminarii paedagogici exercitationibus quibus Kramer praeceptor cel. praeerat particeps essem. Societatem etiam germanicam quae Zacheri v. cl. auspiciis florebat per duo semestria frequentavi. Ita cum per septem semestria studiis academicis operam dedissem, Berolinum me contuli, ubi per duos annos munere praeceptoris privati fungebar neque unquam in litteris versari intermittebam, ut aptus existerem ad examen pro fac. doc. sustinendum. Quod cum mense Novembri a. h. s. LXXIX exeunte prospere mihi processisset, Aprili mense insequentis anni a Fr. Steinhausenio, rect. ill., ad gymnasium Gryphiswaldensem vocatus sum, ubi nunc munere praeceptoris ordinarii fungor.

Restat ut omnibus illis viris clarissimis, inprimisque Keilio et Zachero, qui doctrina, opera, consilio optime de me meriti sunt, gratias agam quam maximas.